



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXII. De non celebrandis Nuptiis tempore vetito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

CAPUT CXII.

De Quarto Præcepto Ecclesiæ, Nuptias non celebrandi tempore prohibito.

1. *Quar.* Quo tempore prohibita sit Matrimonii celebratio, seu Nuptiarum contractus? *Resp.* Olim prohibitum fuisse celebrare Matrimonium ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam; à Septuagesima usque ad octavam Paschatis; & à diebus tribus ante Ascensionem usque ad octavam Pentecostes; per *cap. Non oportet, cum tribus seqq. 32. qu. 4. & per cap. Capellanus de Feriis.* Sed quia talis prohibitio videbatur nimis prolixa; & Prælati frequenter molestabantur per dispensationes, idcirco in Concilio Tridentino prohibitio redacta fuit à prima Dominica Adventus Domini usque ad diem Epiphaniæ inclusivè, & à primo die Quadragesimæ usque ad octavam Paschatis; ut legitur *sess. 24. cap. 10. de Reform. Matrim. Cuchus in Institut. Major. lib. 5. tit. 12. num. 4. Pax Jordan. tom. 1. lib. 3. tit. 7. num. 130. Barbos. allegat. 32. num. 193.*

2. *Quar.* Qua hora incipiat tempus prohibitionis supradictæ non contrahendi Nuptias? *Resp.* Quod quamvis nonnulli DD. scripserint, prohibitionem incipere à primis Vesperis Adventus; tamen germana, & communis opinio est, quod ipsa incipiat in media nocte ante primam Dominicam Adventus, & in media nocte ante feriam quartam Cinerum, quia tunc more Romano incipit dies subsequens, & desinit in media nocte post Epiphaniam, & Octavam Paschatis; ad rationem initii, & termini vigiliarum, & jejuniorum. Cuchus *ubi supra num. 7. & Jordan. num. 131.*

3. *Quar.* An dicto tempore Adventus, & Quadragesimæ prohibita sit quæcunque celebratio Matrimonii per verba de præsentibus? *Resp.* Super hoc quæsito discordes esse Doctores, quorum plurimi asserunt, non esse prohibitam privatam celebrationem Matrimonii; sed solemnem tantum, nempe quando fieret cum conviviis nuptialibus, choreis, pompis, larvis, & aliis vanæ lætitiæ signis, prout olim erat in usu. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 6. Navar. in Sum. cap. 22. num. 71. & Barbos. *dict. allegat. 32. num. 194.* Porro prudentes Canonistæ notant, etiam privatam Nuptiarum celebrationem dictis temporibus esse prohibitam, ubi talis est consuetudo, qualis est in Diocesi Patavina; & in sua Diocesi Tragurienfi testatur dictus Episcopus Jordan. *ubi supra num. 135.* ubi propterea docet, non esse recedendum à consuetudine, quod etiam firmarunt Paludanus, & Hostiensis apud Cuchum, qui eos sequitur una cum Archidiacono *dict. lib. 5. tit. 12. num. 8.* Quare in hoc negotio cavendum est à libris Theologorum modernorum, qui nimis laxant habenas; & ego, cum essem Vicarius Generalis hinc Patavii, punivi Parochum, qui ausus fuerat, celebrantibus

matrimonium assistere in Quadragesima sine mea permissione, aut dispensatione.

4. *Quar.* Quale peccatum foret, inire Matrimonium per verba de præsentibus in dicto tempore prohibito? *Resp.* Quod esset peccatum mortale. Jordan. *dict. lib. 3. tit. 7. num. 138.* quamvis notet ibi, quod nonnulli asserunt, posse dici peccatum veniale, quibus tamen non assentit ipse Jordanus.

5. *Quar.* An dicto tempore prohibito liceat sponsis, si matrimonium cum licentia, vel sine licentia celebrent, illud etiam statim consummare? *Resp.* Esse hinc inde opiniones diversas Doctorum, sed affirmativam prævalere. Jordan. *ibid. num. 139. & Cuchus num. 10.*

6. *Quar.* An Sponsalia de futuro, & denunciationes fieri possint tempore Adventus, seu Quadragesimæ? *Resp.* Affirmative. Jordan. *ubi ante num. 140.*

7. *Quar.* An sponsi sint benedicendi juxta formam Missalis Romani in Missa de sponso, & sponsa, si licentiam obtineant ab Episcopo contrahendi Matrimonium tempore Adventus, vel Quadragesimæ? *Resp.* Non esse benedicendos, & hoc sub pœna peccati mortalis, ut pluribus allegatis probat Pax Jordan. *dict. lib. 3. tit. 7. numer. 130. 132. & 133.*

8. *Quar.* An Episcopus possit dispensare, & licentiam concedere, ut benedictio Matrimonialis detur dicto tempore Quadragesimæ, vel Adventus? *Resp.* Majorem numerum Doctorum negare, quos allegat idem Jordan. *ibidem num. 151.* At nonnullos extare, qui affirmant, ubi adesset aliqua urgentis causa. Exempli gratia, quod aliquis Vir dives nollet ducere in uxorem puellam pauperem, nisi benediceretur statim; sed subdit Jordanus, raro posse occurrere causam ita urgentem; unde quamvis affirmativa opinio sit probabilis; in praxi adhaerendum esse negativæ.

9. *Quar.* An mortalis sit culpa contrahere Matrimonium, & illud consummare, omiffa benedictione Matrimoniali, extra tempora Adventus, & Quadragesimæ? *Resp.* Negative; quia de benedictione suscipienda non extat præceptum, sed consilium. Barbos. *allegat. 32. num. 181.* Jordan. *ubi supra num. 116. & 117.* ubi aliter dicendum notat, si omittantur denunciationes ob periculum alicujus impedimenti. Subdit autem Jordan. *num. 118.* quod omiffio benedictionis salvari non potest saltem à peccato veniali, quia respicit Sacramenti dignitatem, & divini adjutorii invocationem, & est ordinata à Jure. *cap. Nostratis. & ibi Gloss. fin. 30. q. 5.*

10. *Quar.* Quibus in casibus benedictio Matrimonialis sit omittenda? *Resp.* Ultra prædictum tempus Adventus, & Quadragesimæ, omittitur in secundis nuptiis, quando in primis uterque sponsus fuerit benedictus, vel saltem alter eorum. *cap. Vir. de secundis nuptiis. Jord. lib. 3. tit. 7. num. 122.* Quod si Virgo nubat viro, qui aliam habuit uxorem, & fuit alias benedictus, poterit novè dari benedictio, si talis sit loci consuetudo.

tudo, ut respondisse Sac. Congregat. testatur Nicol. in suis *Lucubrat.* tom. 1. lib. 1. tit. 10. num. 72. in fine, pag. 67. Item omittitur benedictio tempore generalis Interdicti. cap. *Alms. de Sentent. Excommunicat.* in 6. & si quis ex Sponsis esset excommunicatus, vel specialiter Interdictus. Sanchez de *Matrim.* lib. 7. disp. 9. num. 13. Jordan. ubi supra num. 144. & 145.

11. *Quer.* An repetenda sit benedictio prædicta, si prima vice, qua fuit impertita, Matrimonium fuisset nullum? *Resp.* Non esse repetendam, quia ipsa respicit personas, non nuptias. Gutierrez de *Matrim.* cap. 106. num. 14. Jordan. num. 124.

12. *Quer.* An sponsi contrahentes Matrimonium, in peccato mortali existentes, & Confessionem non præmittentes, peccent mortaliter? *Resp.* Quod aliqui DD. negant, eo quia soli Ministri consecrati mortaliter peccant conficientes Sacramenta, & tales non sunt sponsi. Sanchez de *Matrim.* lib. 2. disp. 6. num. 4. Barbof. alleg. 32. num. 172. At alii DD. affirmant, quia recipiunt Sacramentum indigne, & ideo tenentur confiteri, vel saltem actum contritionis elicere. Gutierrez de *Matrim.* cap. 83. Jord. ubi supranum. 112. ubi ait, Episcopos curare debere, ut sponsi hortentur ad præmittendam Confessionem, & faciendam Confessionem per triduum saltem ante Matrimonium.

13. *Quer.* An Parochus assistens celebrationi Matrimonii in peccato mortali peccet mortaliter? *Resp.* Negative, quia non assistit uti Minister collativus Sacramenti, sed tantum Auctoritativus. Possevin. de *Offic. Cur.* cap. 5. num. 33. Jord. ibid. num. 113. Cætera scitu necessaria de Matrimonio, & præcipue de ejus impedimentis vide infra cap. 132. & 133. nec non in meis Decisionibus de hoc Sacramento compilatis Annis 1683. & 1684. ubi plenè.

CAPUT CXIII.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

1. *Quer.* Quid sit Decima? *Resp.* Est omnium bonorum licite quæditorum quota pars, Deo, ejusque Ministris divina Institutione, humana verò constitutione, dictante etiam naturali ratione, debita. Ita Turretin. in cap. *Revertimini*, num. 7. & 16. quest. 1. Moneta de *Decim.* cap. 2. in princip. & Barbof. de *Jure Ecclesiastico* lib. 3. cap. 26. num. 2.

2. *Quer.* Quid sint Primitiæ? *Resp.* Sunt primi fructus terræ, eo anno collecti, qui Deo tanquam Creatori, & datori illorum rependuntur; juxta *Exod.* cap. 20. cap. 23. & cap. 26. ac in *Deuteronom.* cap. 18. & cap. 26. & de eis loquitur Text. in cap. *Decimas*, verb. *Oportet autem*, 16. qu. 7. Et ego de *Sacrif. Missæ*, decis. 23. num. 45.

3. *Quer.* Quid sit Oblatio? *Resp.* Est, quidquid Deo, vel Ecclesiæ, ejusve Ministris voluntarie exhibetur, cap. *Cum inter*, de *verbor. significat.* Antonell. de *Regim. milit. Eccles.* lib. 5. cap. 18. num. 3.

4. *Quer.* An Decimæ, Primitiæ, & Oblationes debeantur ex præcepto? *Resp.* Decimas deberi ex Præcepto tum Divino, respectu congruæ sustentationis Ministrorum Ecclesiæ. Gloss. in cap. *A nobis*, & in cap. *Nuper*, de *Decimis*; tum humano respectu quoræ, seu quantitatis solvendæ, cap. *Parochianos*, cap. *In quibusdam*. §. *Ille quippe*, de *Decim.* Barbof. d. cap. 26. num. 5. 6. & 7. Primitiæ verò, & oblationes non sunt de præcepto, nisi ubi talis esset consuetudo. Suarez de *Relig.* tom. 2. lib. 1. cap. 8. n. 16. Antonell. ubi supra num. 2. 3. & 4. & Barbof. d. lib. 3. cap. 25. num. 4.

5. *Quer.* Quomodo debeantur Decimæ hoc tempore; & cum cessaverit Lex Mosayca, per quam fuerunt præceptæ? *Resp.* Cessare Legem Mosaycam in iis, quæ erant cæremonialia, vel judicialia; non autem, quæ moralia erant; at solutio Decimarum inter moralia præcepta censetur, & ideo adhuc durat. Moneta de *decim.* cap. 2. lib. 1. & Barbof. ubi supra d. lib. 3. cap. 26. num. 8.

6. *Quer.* Quotuplex sit Decima? *Resp.* Est duplex; Alia prædialis, seu realis, quæ ex frugibus terræ solvitur. Alia personalis, quæ debetur ex fructibus humana industria acquisitis. Barbof. dict. cap. 26. n. 9. ubi consutat tertiam speciem Decimarum, quæ appellabatur mixta; docendo, has duas species quamcunque Decimam comprehendere, in c. *Ad Apostolica*, de *Decim.*

7. *Quer.* Quænam sit differentia inter Decimas Prædiales, & Decimas Personales? *Resp.* Quod ex Decimis Prædialibus non deducuntur expensæ, neque tributa census, aut alia debita; sed integrè, & sine diminutione solvendæ sunt, cap. *Non est in potestate*, cap. *Tua nobis*, & cap. *Cum non sit in homine*, de *Decim.* & cap. *Decimæ* 16. q. 1. At in Decimis personalibus expensæ deducuntur, cap. *Pastoralis*, eod. tit. Gloss. in d. cap. *Non est in potestate*, S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 1. & art. 2. Antonell. dict. lib. 5. cap. ultim. num. 2. Barbof. dict. lib. 3. cap. 26. §. 1. num. 34. & seqq.

8. *Quer.* Ex quibus fructibus sint Decimæ solvendæ? *Resp.* Ex omni, & quocunque fructu, prout nominatim scribit Barbof. dict. cap. 26. §. 1. à num. 1. usque ad 24. nisi inoleverit consuetudo, seu præscriptio non solvendi Decimam de aliquo semine, seu fructu; nam in hoc casu, licet dictum semen mittatur in agro solito solvere Decimam, tamen ex eo semine, & fructibus, circa quos est contraria consuetudo non solvendi, Decima non solvitur, ut docet Peregrin. in *decis. Patavin.* decis. 143. in fin. Tondut. lib. 1. *Canonic.* quest. cap. 39. num. 3. & Moneta de *Decimis* cap. 5. num. 87. & 94. cujus rei exemplum reperi in *Visitatione Communis Salzedi* in hac Patavina Diœcesi, in quo non solet solvi Decima de Cannabe; & Lino, licet seminetur in agris obnoxiiis Decimæ. At hæc doctrina non procedit contra Parochos, quibus de omni fructu, nullo excepto, solvenda est Decima, Bichius *decis.* 322. Rota *part.* 18. *decis.* 582.

9. *Quer.* An sit solvenda Decima de semine novo, quod incipiat seminari, de quo nunquam notitia habebatur? *Resp.* Affirmati.